



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmma Practica Theologiae Mysticae**

**Gelen, Victor**

**Coloniae Agrippinae, 1652**

Articulus Primus. Quod propria operatio, quamdiu mysticus in medio priuationis versatur, amoris sit fortissima decertatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9766**

- III. Ordine promiscuo per tendentiam affectuosam, vel intellectualem hic procedendum.
- IV. Violenter exagitur mysticus in quatuor gradibus amoris, quasi insipientibus natura corrupta passionibus.
- V. De admirabili priuatione B. Angela de Fulginio.
- VI. Tota circumferentia seu omnes anime potentie doloribus adimplentur, vsque ad mortis anxietatem.
- VII. In hoc agone dolores anime blandimento compassionis, aut etiam amore diuinitus excitato mitigari.
- VIII. De signis quibus assecuretur mysticus se in hac vera, & non naturali priuatione constitutum.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*Quod propria operatio quàm diu mysticus in medio priuationis versatur, sit amoris fortissima decertatio.*

**C**onfabulabor a cum amaritudine anima mea, nunquid mare ego sum; aut cetus, quia circumdedisti me carcere? ac si diceret; ô pia anima, quæ ob spiritualis solatij carentiam, & vitiorum, malarumque inclinationum insolentiam, tanquam à maris tempestate concuteris, & in fundo, seu centro cordis, quasi in carcere concluderis; in tantum, vt si pro quiete, & solatio effugium quæras, tanquam cetus in Oceani profundo, fluctibus vndique agitatus, longè amplius tibi metipsa facta grauis, spiritualibus tædijs inuoluaris, vnam post alteram, eamque maiorem abominationem cordis tui sustinendo; scias velim, quod pijsissimus Dominus, in vasis fictilibus debellaturus diabolum mundum, carnem, & concupiscentias eorū;

ita tecum agat, sicut Rex cum amicissimis, & fidelissimis regni sui, quos in delicijs & palatio suo varijs ante solebat fouere recreationibus: bello autem instante ad loca deserta, inuia, & inaquosa perducit, vbi ipsorum labore, fortissimè contra inimicos oppugnandos, se munet, nihili faciens, quod fame, siti, frigore, calore, fatigationeque exhauriantur; imò si quis illorum grauem incidat morbum, pluribusne faucietur vulneribus, nihil ipsum à cæpto labore cohibet: quin imò, quanto quis amplius in eiusmodi molestijs sese animosum, & laboriosum ostenderit, tanto etiam ipsi Regi gratior erit, cum fidelem amicum in tentatione probarit.

Toto ergo tempore, quo cum pijsissimo Salvatore nostro, à Spiritu sancto in desertum ducetis, vt & abominationes cordis tui discas agnoscere, & funditus eradicare; siue interea displiceant pietatis, & virtutis solita exercitia, siue de diuina bonitate, eiusque in te presentia diffidas, siue contra Deum Opt. Max. aut etiam amantijsimum alioquin spri-



spiritualem magistrum, aut quamuis aliam creaturam, ac maximè contra temetipsam impatientia, aut tristitia commouearis: quam diu, inquam, in deserto cordis tui ab omni tentatione probari habes, aliud vt plurimum agere non poteris, quam propriissima, & huic statui maxime conformi operatione scilicet confabulari cum amaritudine animæ tuæ, & humili resignatione, demissoque animo dicere, ac ingemiscere; ô piissime Deus, quæ est fortitudo mea vt sustineam, aut quis finis meus, vt patienter agam; nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est: attamen ô misericordissime Domine, hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcas, nec contradicam sermonibus sancti: & qui cœpit ipse me conterat: soluat manum suam, & succidat me; vt sit in me per tuum auxilium fortis, vt mors, dilectio. verè enim hoc loco tam fortis est dilectio, vt licet omnes creaturæ piæ animam discruciant. attamen ab amoris diuini progressu, dimouere non possent. iuxta illud Pauli. *a* Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (sicut scriptum est: quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis) sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura,

neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. & hisce in communi dictis, consequenter dicendum est, de ijs quæ in particulari eueniunt.

*Mysticus tandem prolabitur in ipsum fundum, seu centrum amoris, ex originali peccato vitiatum.*

## ARTICVLVS SECVNDVS.

**E**Go lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, *b* & loquar ad cor eius. ac si diceret, ô pia anima, quæ lacte consolationis, aut animosæ resolutionis, interiora tua percurrebas, & iam immediatè ad solitudinem amoris *c* deficientis deducta es, ita vt eorum, quæ ad rem tibi videntur facere, nihil amplius sentias; scias velim, adhuc superesse, vt Deus loquatur ad cor tuum, & probet ea, quæ sunt in animo tuo, & tibi ipsi notæ fiant abominatones cordis tui; de quo vtique tanquam amoris fundo, seu centro (licet ex originali peccato vitiatum) exhibunt cogitationes malæ, homicidia, fornicationes, adulteria, furta, blasphemias, & sexcenta similia: quibus licet in spiritu, & secundum quod graue peccatum committi potest, non consentias; attamen oportet, vt vitiorum, & malorum inclinationem, ceu amarissimam potionem, gustes, bibas, & ebibas vsq; ad fundamentum in ea. nec vllum sit malum, cuius

T 3

*a Rom 8. b Ose. 2. c sup. paraph. 2.*